Lecanorae Cubanae novae.

Exponit W. Nylander.

Lecanorae subfuscae stirps species criticas haud paucas offerens, sicut scriptis meis demonstravi recognitione sane opus habet. Hodie exhausta est methodus percommoda, quae „ideas specierum" imaginandi potissime facultate concipere voluit, de characteribus verba faciens, sed eos veros attente accurateque extricando parum occupata. Novis notis, e differentiis chemicis et ex acutiore analysi mircoscopica datis, certiore methodo concipere licet quoque species huc pertinentes, atque ita tales jam saepe facile dignoscuntur, quae ante confusae erant vel vage expositae. Lichenes europaei eo respectu in Addendis meis varia exempla praebuerunt, at exotici etiam plura exhibent.

Inter Lecanoras secundae seriei collectionis C. Wright e Cuba hic definire haud inutile censeatur sequentes, elementa nonnulla cognitioni stirpis, de qua agitur, addentes.

Numeros collectionis (seriei secundae) pro quavis specie adjiciam.

1. *Lecanora chlaroterodes* Nyl. Thallus albidus tenuis, minute granuloso-inaequalis, nigricanti-limitatus (K flavens); apothecia pallida vel pallido-subtestacea (latit. 0,5 millim. vel minora), margine thallino subcrenulato vel subintegro cincta; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,009—0,012 millim., crassit. 0,005—6 millim., paraphyses graciles subinsperrae, epithecium inspersum. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, coerulescentia thecarum subpersistente vel alibi sublutescente. — Corticola (data nis. 49, 64 et 67 a).

Species est affinis *L. chlaroterae*, sed minor et sporis minoribus etc. Spermatia arcuata, longit. 0,020—0,025 millim., crassit. 0,0005 millim.

2. *Lecanora perithiodes* Nyl. Thallus albidus rugulosus vel subgranulato-inaequalis, rimulosus, nigricanti-limitatus (K flavens); apothecia subrubricoso-rufa vel fuscescenti-obscurata (latit. 0,5—0,7 millim.), margine thallino subflavescente mediocri integro vel subintegro cincta; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,010—16 millim., crassit. 0,006—9 millim., paraphyses (etiam apice) graciles inspersae, epithecium praesertim inspersum, hypothecium incolor. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, thecae etiam ita (et persistenter) tinctae. — Corticola (datur no. 66).

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03643-0510-5

Affinis *L. subgranulatae* Nyl., sed thallo albido et margine thallino apotheciorum crassiore subflavescente, sporis vulgo crassioribus. Spermogonia non visa.

3. *Lecanora glaucomodes* Nyl. Thallus albidus, sat tenuis (crassit. circiter 0,2 millim.), opacus, rimosus (K flavens); apothecia pallida glaucoalbo-suffusa mediocria (latit. circiter 1 millim.), superficialia, margine thallino firmo integro (demum subflexuoso), cincta; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,006—7millim., paraphyses subgracilescentes non distinctae inspersae, epithecium crassiuscule inspersum. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein thecae subfulvescentes vel subviolaceo-fulvescentes. — Corticola (datur no. 60).

Species facie fere *L. caesiorubellae* Ach., sed sporae minores et reactio hymenii iodo effecta alia. Spermogonia non visa.

4. *Lecanora subflava* Tuck. Thallus flavidus vel albido-flavens, tenuis, rugulosus, rimosus; apothecia subconcoloria superficialia (latit. 1 millim. vel minora), margine thallino firmo integro aut variante subcrenulato cincta; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,010—12 millim., crassit. 0,005—6 millim., paraphyses graciles, epithecium granuloso-inspersum. Jodo gelatina hymenialis coerulescens (dein thecae sordide subviolacee vel sublutescenti-tinctae.) — Corticola (datur no. 53, inscripta a cl. Tuckerman *L. subflava).*

Notis datis facillime dignota. Thallus K flavo reagens. Spermogonia incoloria; spermatia arcuata, longit. 0,016—20millim., crassit. 0,0005 millim.

5. *Lecanora hypocrocina* Nyl. Thallus albidus tenuis granulatulo-inaequalis (K flavens), ambitu concolore tenuiter subbyssino-radiante; apothecia testaceo-rubescentia vel subfusca (latit. 0,5—0,8 millim.), margine thallino integro vel subcrenulato cincta, hypothecio croceo-aurantiaco (K purpurascente); sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,010—11 millim., crassit. 0,006—7 millim., paraphyses sat graciles, epithecium granuloso-inspersum. Jodo gelatina hymenialis coerulescens (coerulescentia persistente). — Corticola (datur no. 48).

Species e stirpe, ut videtur (spermogonia non visa), *Lecanorae subfuscae*, facie fere *L. chlaronae*, facillime dignota (praeter alias notas) hypothecio subcroceo-tincto.

6. *Lecanora egranulosa* Nyl. Thallus albus vel albidus, tenuis, rugulosus vel subrugulosus, rimulosus; apothecia fusconigra (vel variantia pallidiora), mediocria (latit. 0,5—0,9 millim.), margine thallino integro cincta, strato intus infero obscurato; sporae 8nae

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03643-0511-1

incolores ellipsoideae simplices, longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,006—7 millim., epithecium fusco-nigrescens, paraphyses gracilescentes non bene distinctae, hypothecium electrino-fuscescens. Jodo gelatina hymenialis intensive coerulescens. — Lignicola (no. 51) et corticola (no. 54).

Notis datis et praesertim hypothecii colore dignota; thallo laevi vel laevinsculo distat a speciebus stirpis *L. graniferae* Ach. Spermatia parum vel mediocriter arcuata, longit. 0,020—25 millim. crassit. 0,0005 millim.

7. *Lecanora coronulans* Nyl. Similis *L. egranulosae* priori, sed apothecia margine thallino crenulato vel subcrenulato cincta. Forsitan ambae ad eandem speciem pertineant, cujus *coronulans* sistat subspeciem. — Corticola (data nis. 62 et 742).

Definiantur adhuc sequentes aliarum stirpium.

8. *Lecanora flavidopallens* Nyl. Thallus flavidus tenuis laevigatus rugulosus, conferte tenuiter rimulosus, nigricanti-limitatus; apothecia pallida vel lutescenti-pallida, superficialia (latit. 1 millim, vel minora), margine thallino subcrenulato (vel variante subintegro) cincta; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,006—7 millim., paraphyses graciles, epithecium inspersum. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein thecae vinose, fulvescentes. — Corticola (no. 67 b).

Species plurimis notis bene distincta in stirpe *L. expallentis* Ach., maxime vero notabilem habet notam spermatia esse recta (rarissime obsolete curvula immixta); haec longit. 0,010—16 millim., crassit. 0,0005—0,0007 millim. Thallus et apothecia CaCl erythrinose cinnabarina, quae reactio etiam insignior apparet, si K antea infunditur.

9. *Lecanora subfulgescens* Nyl. Forsan subspecies *L. cinnabarinae*, a qua differt thallo aurantiaco (nec cinnabarino), magis continuo et solum rimuloso (nec diffracto). Sporae similes, longit. 0,008—0,010 millim., crassit. 0,004—6 millim. — Calcicola (datur no. 50).

Minutie sporarum differt ab omni *L. aurantiaca* erythrella* (Ach.) comparabili.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03643-0512-7

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1876

Band/Volume: 59

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Lecanorae Cubanae novae 508-510